

Busolti (Griechische Geschichte I p. 331) Heilii (l. d. p. 28). Dissensum professi sunt pauci, in quibus tamen est Gutschmidius (n. annal. philol. u. XCV p. 750. comment Gotting. a. 1885 p 233). Sed cum neque hic neque alius quisquam sententiae contrariae causas satis reddiderit, paucis quid rei sit exponere operae pretium uidetur. Atque genuinis Lydiacis non solum Ephorum usum esse sed etiam Eratosthenem, cuius memoriam seruauit Strabo I, 3, 4 p. 49 cll. XII, 8, 19 p. 579, ipse Welckerus ita concedit, ut etiam reliqua quae de Xantho ab omni suspicione libera habet Strabo XII, 8, 3 p. 572. XIII, 4, 9 p. 628. XIII, 5, 29 p. 680 (fr. 8. 4. 5) ex Eratosthene hausta esse suspectur. Sed quae Mnaseas apud Athenaeum VIII p. 346 E ex Lydiacis refert de Atergati cum Ichthyne filio a Mopso rege lacu submersis et a piscibus deuoratis (fr. 11), ea non potuisse a Xantho uero narrari Welckero tam certum esse uidebatur, ut uel hoc documento Artemonis iudicium satis confirmatum esse putaret. At repugnant temporum rationes. Nam Scytobrachionem extremo altero ante Christum natum saeculo docuisse Alexandriae a Suetonio didicimus de grammaticis c. 7, cuius testimonium qui in dubitationem uocauit Hachtmannus p. 13 sq. argumentatione ea usus est, quae refutatione non indigeat. Mnaseas autem inter Eratostenis discipulos recensetur a Suida u. *Ἐρατοσθένης*, ut Scytobrachione aliquantum antiquorem eum fuisse appareat : quam rem miror et Welckerum (p. 436) fugisse et qui Suidae illud indicium optime firmauit Prellerum de Mnasea Patarensi disserentem diar. antiq. stud. a. 1846 p. 674 uel opusculorum p. 313 cll. p. 685 = 326. Itaque ab illa ueteres fabulas explicandi ratione, quam Euemerus nomine designare consueuimus, Xanthum ipsum non magis abhorruisse certa iam fide constat, quam aequalem eius Hecataeum Milesium: quamquam ne huius quidem genealogias eodem nomine in suspicionem adducere dubitauerunt. Neque uero plus ualet alterum argumentum, quo Welckerus Artemonis fidem stabilire sibi uidebatur, quod Clemens Strom. I, 21 p. 398 Arctini et Leschis certamen (uel potius coloniam in Thasum insulam deductam) a Xantho in olympiadem duodeuigesimam relatum esse tradit (fr. 27). Nam quod Welckerus uerendum esse negat, ne quis olympiadem ab alio aliquo ante